

ORDINIS MEDICI

IN

VNIVERSITATE LITTERARVM
IENENSI

H. T. DECANVS

D. CHRIST. GOTHFRID.
GRVNER

PROF. BOTAN. ET THEORET. ORD.

PANEGYRIN MEDICAM

CLARISSIMI AC EXPERIENTISSIMI CANDIDATI

F R I D E R I C I I A H N
MEININGENSIS

A. D. XVII. MARTII CCCLXXXVII.

HABENDAM INDICIT

RECVDI CVRAVIT

JOSEPHI GRVNBECK
TRACTATVM DE SCORRA PESTILENTIALI SIVE
MALA DE FRANZOS

I E N A E
LITTERIS STRANCKMANNIANIS.

Ex quo lues venerea per omnem terrarum orbem peruagata est, non defuit disceptandi litigandique materia de morbi et antiquitate, et nouitate *), cum in utramque partem disputari possit. Nee defuerunt medici, qui hoc malum, quo sub origine prima nullum erat foedius vel ad nocendum fallendumque aptius, viuis coloribus depingendum curarent. Quorum scripta cum indies increaserent, paullatimque ex hominum conspectu veluti abirent, surrexit tandem ALOYS. LVISINVS **), qui, qua poterat et diligentia, et accuratione, uno volumine comprehensum voluit, quicquid in manus venerat. Sed in hoc etiam quaedam digna et scitu, et lectu desiderantur, inque his non ultimum locum tenent JOSEPHI GRYNBECKI, primum medici,

A 2

*) Vide ASTREV De Morbo Venere Paris. 1738. Ch. HNSLER Geschichte der Luesseuche I. B. Alt. 783; et quae equidem monui in Almanach für Aerzte 1784. p. 224.

**) Hanc recudi curauit Boehr. sub tit. Aphrodisiacis, L. B. 1728.

tandem ex seculi more presbyteri, libri duo, ad hunc morbum turpem attinentes, quorum alter inscribitur: *De scorra pestilentiali sive mala de Franzos* *), alter *De mentulagra* **), vt Cl. HENSLEO *** videtur, contradicente tamen BRUCKFRO ****), qui eundem librum esse statuit, sed mutato tantum nomine. Ille liber quidem non adeo magni habendus videtur, quia ad exemplum seculi compositus est i. e. astrologia superstructus, et sic ex astrorum concursu reperuntur foedi morbi origines. Meum non est, de eo, quod rectum vel falsum hisce in decreatis est, multum disputare; attamen cum quidam et recentioribus his quidem nugis plurimum attribuunt, repetendo morbum inde ab a. 1484. 1492. 1493. quia epidemias futuras praedixerant

astro-

*) Editus est sub titulo, quem infra adscripti, sine loco et anno, forma octonaria, et sine vlo signo, quod HENSLEO l. c. p. 19. meinint, et paulo alter, ac MALLEM Bibl. Pract. T. I. p. 477. et Hier. de Vigiliis Biblioth. Chir. T. I. p. 1512. expresserunt, sed nuncupatoria epistola data est 1496. 15. Kal. Nov. Quae editio an eadem sit, quae Venet. 1503. 4. non liquet, dubito tamen, cum in fronte nostri exempli inanus Ge. Spalatinus adscriperit, hocce testamento Thamerti Läseri, canonici Misenaen. bibliothecae Electorali accessisse. Sed hic quidem iam a. 1503. mense Octobr. obiit. FR. BOERNER Bibl. Libr. rar. Spec. I. p. 29. memorauit librum, eumque 12. plägg. constare dixit.

**) L. cit. p. 18.

***) Hunc solum nominant *Paschal Gallus* Bibl. Med. p. 199. Conr. Gefner Epitom. Bibliothec. per Ies. Simler p. 113. b. Merklin. Linden. Renovat. p. 709. aliquae plures, et editum dic. Veneti. ap. Scotum a. 1503. 4. sub titulo: *De Mentulagra seu morbo gallico liber*, aliij, vt Linden leg. regio, alii, vt *Gallus*, de lue venerea.

****) Kestner Med. Gelehr. Lexic. v. Grünbeck p. 365.

astrologi, mirari subit, quid sit, quod hunc GRVNBECKII scriptum contemtui aliorum explicant. In quo quidem prima sunt astrologiae placa-
cita, tamen nec male explicat auctor, quae ad me-
dicum pertinent, deinde meretur libellus, nisi ob dignitatem argumenti, certe ob raritatem,
adiungi ceteris, quorum memoriam maiores pa-
tresque litteris consignatam reliquerunt.

Inueni nuper hanc GRVNBECKII opellam in bibliotheca academica, eamque describendam se-
dulo curauit, vt paullo comtior in lucem ex squa-
lore rediret. Dabo ergo, quo demum cunque
orationis genere conscriptam acceperam, delen-
do operarum vitia, et subiiciendo quasdam notu-
ias. Curabo etiam, vt in posterum PET. PIN-
TOR simili via in vulgus edatur, et omnium fiant,
quae iam paucorum sunt. De reliquo, Lectores,
fauete veterum, nugis, cum nostri homines Vos
suis nugis fere opprimere non desinat.

Fegregio Nobilique viro, BERNHARDO DE WALCKIRCH, Liberalium studiorum Magistro, literariae sodalitatis Danubianaæ^{*)} lumini et ornamento, ac Canonicō kathedralis Ecclesiae Augustensis, JOSEPH GRVNPECK DE BVRCKEHAUSEN^{**) Felicitatem optat.}

Incidi pridem, humanissime vir, in exactissimum accuratissimumque Eulogium quod, dam SEBASTIANI BRANT, perdocti in primis et praecclari viri, cuius ornatus scribendi character luculentissimaque verba omni sententia, rum grauitate historiaruinque lumine illustrata me mirifice oblectarunt. Habent siquidem non minus utilitatis, quam salis, cunctis mortalibus subuentura. Inter cetera horum fluctuum et procellarum nostri aei incommoda hanc continent omni morbo acerbiorē omnique epidemia magis pestiferam labent, tam repente in homines demissam, vt plaga coelitus decusa esse videatur, quam gentes Francigenarum malum appellant, quod quidem tam horridum tamque teturum existit, vt etiam Herculem, in huma-

^{*)} Quae illa fuerit, non liquet.
^{**) Hensl.} leg. Burckhaugen.

humanis si viueret; terreni videtur. Nam eius virus quidem, vt reor bilis admiscet suis ignibus perpetuo crucians humana corpora. Sum am deinde corruptelam omni veneno acriorem atra bilis ocius exaggerat. Pituita postremo e primogenita sua natura perculta itidem consummatum reddit. Ea itaque materies, vnum in locum congesta ex praefatis corruptis humoribus, tam Sordida, foetida, squalida, rancida impuraque omni colluione immundior efficitur, ^{*)} vt nihil hominum naturae abominabilius accidere possit. Quam quum expellere enititur, ad venarum congressum circa naturalia virorum foeminarumque demittit, tandem, crebrius percussis contritisque corporis moenibus, propugnaculisque dirutis, tanta vi sagittae contusae ad proximos profiliunt homines, vnde affinitatem cum pestilentia habere videtur aegritudo haec. Cum vero ea carmina et accurata diligentia, et singulari arte, ab eodem utriusque professore conscripta causam remediaque huiusce modi acerbissimi morbi complectentes, in manus meas irrepsissent, illico dolor ac commiseratio quaedam cor meum percussit, quae ^{**)} non ab omnibus inteligi possent, tum ob scripti grauitatem difficultatemque, tum etiam breuitatem, et ne plebei etiam tam salutari ^{***)} re vacui essent, in ma-

A 4 ternum

^{*)} Hensl. leg. efficit, sed male et sine auctoritate scripturæ.

^{**) Hensl. leg. cum.}

^{***) Hensl. leg. singulari.}

ternum, vt ita dixerim, ideoma traduxi. Originem insuper huius sordis, quam *mentagoram* alii, *Scorram seu plantam noctis* ceteri vocitare solent, ex astrorum configurationibus scaturiens, remediaque ex approbatissimorum medicorum voluminibus manata, in tractatulum quendam pro viribus meis coniicere curauit, qui, vt spero, erit tibi omni virtute nobilitate que praestanti viro, huius insignis Capituli Augustensis Canonico dignissimo, laudi. Namque licet adolescentiam pridie egressus sis, sumpta tamen virili toga, mox cunctis contemporaneis suis antecellere contigisti. Profecto ea, quae ad perfecti viri praestantiam consummationemque pertinere videntur, tibi peculiaaria vendicas, unde maiori praeconio, quam vt hoc opusculum tibi dedicarem, celebrandus es, tamen non tam hic meus labor tuae virtuti ingratius erit, quem cum omnibus bonarum artium disciplinis perditis, tum maxime hominibus hoc morbo laborantibus consolationi et utilitati, praeterea omnibus legentibus haud inicundus. Vale felix. Datae Augustae ex aedibus magistri *SIXTI STAIMACK*, fautoris mei praincipui, XV. Kal. Nouembris. Anno 1.4.96.

Eul.

Eulogium SEBASTIANI BRANT, utriusque iuris professoris *), de *Scorra Pestilentiali* sive *Mala de Franczos*. anni 96. ad *Johannem Capinon* **), Legum Imperialium Interpretem.

Capinon, illustres inter memorande poetas,
Germani speciem, nobilitasque soli.
Fare, age; (nam memini ***) tibi lincea lumen
quoniam

Tam modo terrarum forma statusque placet?
Cernis, vt in toto variisque tumultibus orbe
Sit Bellona felox ****) irrequita nimis,
Adque pilam multi †) iam luditur, utro citroque
(quo nam)

Quaeritur in scirpo (scis puto) nodos iners.
Nec sat scire licet, cui sit ceflura vel olim

Herba, quoniam ††) fistere sine globus.
Imperio paucos iam cernimus esse fideles.

Vix modo Germanis Caesarem habere placet.
Pro se quisque studet caeco regnare tumultu,
Detractaque †††) suum gens modo quaeque
Iugum.

Aetas nulla prius, neque saecula cuncta tulere
Tot modo, quot passim, cerni nos ††††) acce-
phalos.

Non placuit ranis pietas mansueta tonantis.
Pamphagus in poenam rex datur Ibis eis.
Quaeque nouum regem fatuae expetiere, columbis
A 5 impro-

*) Et haec inscriptio ap. Hensler. p. 25. alia est.

**) Leg. *Capinon*.

***) Hensl. leg. *nemini*. et paulo post iam. Reposui huc,
quoniam, quod infra est.

****) Hensl. ferox.

†) Haec redundare videntur et translocata.

††) Hensl. leg. velit, quoniam.

†††) Hensl. hab. *detractat*. Rectius, *detractat*.

††††) Hensl. leg. *ceruumus*. Recte.

Improbis atque vorax rex datur accipiter.
 Graecia Romanis cupiens desciscere habenas.
 Perdita Rectoris fert dira iuga mali,
 Quaeque fidem capiti subtraxit acerbius, eheu,
 iam caput et dominum sustinet illa trucem.
 Optime Phorcigena et diuum iustissima cura,
 Pegasidum quia non *) rura beata colis.
 Inter multa quidem, quae me nescire fatebor
 Ingenue, hoc vnum te prope scire reor,
 Germanos vel ad hoc summo conamine nitit,
 Quo sibi praecidant, quod peperere, caput.
 Cum prope finis adeat, cessare et equitia phas est:
 Hyppurim eneruat gremmet equinus aequis.
 Sic sceptrum Assyriis, sic Medis, sic quoque Persis
 Sublatum, et Macedum fortia regna iacent
 Inde adeo in terras mittit deus vltor acerbos
 iam totiens morbos, febris et omne genus,
 Tot noua monstra, fera et portenta, oftenta pro-
 phana, et
 Naturae inuisam multimodamque necem.
 Quis modo septennem vel saltem ad singula lustra
 Non timet horrendam mortiferamque luem?
 Addo alias aliosque nouos concrescere in horas
 Inque dies morbos, quos filuisse velim;
 Sunt ea tela defum, quibus exitiale piatar,
 Atque flagellatur deprimiturque nephias.
 Fulmina et idcirco manibus fabricata cyclopum
 In Iouis irati dicimus esse manu,
 Cum quibus a mundi compressit origine gentes,
 Atque hominem docuit, viuere et esse deos.
 Singulaque vt, quorum me copia longa fatigat,
 Subticeam, hoc vnum sit meminisse satis,
 Quod modo tam teturum, quem dicere abomi-
 nor, atque
 Horrendum, et foedum dili prohibere **) praecor:
 Pestiferum in Lygures transfuerit Francia morbum,
 Quem

*) Hensl. leg. nunc. **) Hensl. hab. prohibere.

Quem MALA DE FRANZO'S Romula lingua vocat.
 Hic Latinum atque Italos inuasit, ab Alpibus extra
 Serpens, Germanos Istricolasque *) premit.
 Graffatur mediis iam Thracibus atque Bohemis,
 Et morbi genus id Sarmata quisque timet.
 Nec satis extremo tutantur in orbe Britanni,
 Quos refluum cingit succiduumque fretum.
 Quin etiam fama est, Aphros penetrasse Getasque,
 Vique sua vtrumque depopulare polum.
 Longius hoc vitium, quam par sit, crescere vbique
 Cernitur. E nostris corpora multa luunt.
 Scoram, Galle, vocas a scor, quod Graecus
 oletum
 Dicit, et impurum, rancidulumque tonat.
 Hic Thimius **) dici posset, si rupta cruentem
 Verruca daret: at siccior illa fedet.
 Condiloma foret, cangraenae, grandior his sed
 Pustula proserpit, sed numerosa minus.
 Has a variolis distinguit causa, quod istis
 Frigidus humor inest, hisque melancholicus
 Fit, quotiens propriis Saturnus ab aedibus exit,
 Inque Iouis migrat morbifer ille domos.
 Nam tum reliquias duri senis atque maligni
 Iupiter expellit, purgat et euacuat.
 Id quod ab octenis lustris contingere crebro
 In terris, vbi sunt corpora siccata, solet.
 Vnde frequens Gallis morbi genus id, vel Iberis
 Rariis ***) apud gentes, frigus et humor vbi.
 Non illi Chiron, nec item cum fratre Machaon
 Ferre salutarem posse fatentur open.
 Esto, aliqui temptent ****) medicinam adhibere,
 et inungant
 Corpus, et in saccum culleolumque suant;
 Crede mihi, nocuit praeceps medicina frequenter,
 Quod
 *) Hensl. leg. rectius, Istricolasque.
 **) Leg. thymus et infus, condiloma, gangraenae.
 *** Hensl. leg. rarus. ****) Leg. tentent.

Quodque percussum est, scabrius vleus erit.
 Sola iuuat pietas superum et mora longior, atque
 Cum mithridatis ope phlebotomia frequens.
 Mensibus vndenis quosdam contabuisse videmus,
 Nec tandem ad plenum conualuisse tamen.
 Multis lepra minor visum *) est, Epidemia multis,
 Exposci atque aliis mors cita saepe solet.
 Sie putor inclusus pungit, premit, vrget, adurens
 Inflammatur, torquet, prurit et incinerat.
 Poscamus veniam superos ideo, atque per aras
 Pacem a coelicolis vota precesque petant,
 Ut saltem immunem seruet pia virgo sub alis
 Magnaminum regem tam placidumque suis.
 Qui modo scorrofosi Lygures agit inter et aegros,
 Liber ut hoc morbo Caesaris arma ferat.
 Caesaris arma, simul sacrum et diadema reportet
 Rex pius, et summo dignus honore parens,
 Quem cuncti vnamimes Christi de plebe sequamur,
 Ut videant gentes nos populum esse dei.
 Vosque, Itali, in primis regem obferuare **) be-
 nignum,
 Ne vos deterior subruat, interimat.
 Alea quidem iacta ***) est, permix Rhamnusia
 ludit,
 Atque indignatur, nos voluisse minus.
 Nolite, o virtus Germana, et viuida corda,
 Desipere, atque aliis linquere frena et opes.
 Est aliquid membris, caput orbis habere monarcham,
 Quem timeant gentes, regnaque cuncta soli.
 Qualis magnanimus victor modo MAXIMILIANS,
 Qui fulmen bellii ast, pacis amator item.
 Principis illius mallem iacuisse profecto
 Sub pede, quam externi sceptrta tulisse viri.
 Simus ideo ciues capiti, rogo, subdita membra.
 Sic patrius nobis manserit usque decor.

Egre-

*) Hensl. melius leg. visa. **) Hensl. leg. obseruate.
 ***) Hensl. hab. iacta quidem. Recte.

Egregias animas prauorum *) umbrasque sequamur.
 Maiorem, (neque enim degenerare licet)
 Qui virtute sua, fudore armisque pararunt
 Fortibus imperium sceptrigeram **) manum.
 Sic Germana deus regna, atque deifera mater
 Perpetuo obseruent Theutunicumque ***) decus.

*Tractatus de origine pestilentiali Scorræ sive
 mala de Franzos, magistri JOSEPH GRVNPEK DE
 BVRCKHAVSEN felici fidere. Incipit Capitulum pri-
 mum de hominum plagiis seu flagellis. An Cu-
 ius est, naturaliter vel supernaturaliter ex divina
 voluntate proueniant.*

Solent abditarum Yerum et a sensu seclusa-
 rum solertiissimi indagatores humanum corpus
 variis aduersae valetudinis incommodis affici fa-
 teri, ut id, quod a tam variae et multiplicis
 qualitatis natura genitum sit, non valeat, nisi
 ab eadem etiam demum morbis debilitari frangi
 quoque, quum omne id, ex quo connexum
 est, in illud postremo dissoluitur. Abeunt et
 enim eo omnia, vnde orta sunt, praeterea in-
 finitum familiaribus domesticisque morbis la-
 borare, tum infestis alienisque turbinibus affi-
 gi, vnde et plures admiratione duci, cernen-
 tes, breue hoc tempus, veluti punctum vitae, tot
 periculorum generibus, tot morbis, tot curis,
 tantoque metu excruciali, ausi sunt dicere, na-
 turam

*) Hensl. rectius proavorum et maiorum.

**) Hensl. hab. sceptrigeramque. Recte, ob scanzionem.

***) Hensl. leg. sentonecum.

turam homini nihil praestabilius hoc breui vitae curiculo praetitisse, quoniam sensus etiam hebescunt, membra torquentur, praemoritur visus, auditus, dentes etiam, ciborum instrumenta, mox ineunte grandiori aetate, elabuntur. Et tamen hoc tempus vitae annumereatur. Ergo illud apud eos pro miraculo habitum est, **XENOPHILIVM** musicum centum et quinque annis sine ullo corporis incommodo vixisse. O miseram hanc vitam, qua dum crebrius in eius tempestatum terribilissimis fluctibus et procellis exagitari, totiens etiam naufragium perpessi sumus! Natura ipsa, iniqua nouerca hominis, ne his quidem malis satiata est, sed maiores in dies qualibetque hora, et ut ita dixerim, omni momento in miserum hoc animal, ceterorum ducem, tumultus excitat, saeuuntque in nos iam misera funestaque Martis arma, iam falcifera Saturni innumera mala, nunc pestilenta, nunc famae, magnorum proxima malorum semper comes. Insuper nouum genus morbi, naturae inuisum, minaci ferocitate, quod e deorum immortalium olim area in Gallos demissum fuit, omnes mundi cardines inuadere enititur, pluribus in regionibus atrocissime etiam incrudens. Et proximus Praenestinae sorores cuncta in hoc orbe huc illucque versant, neque iisdem in vestigiis persistunt. Hae procellae, ne cuncta recensendo longior sim, quo e fonte scaturient, naturali an coelestique, an deifico, hoc loco differendum erit. Fatebor autem, partim naturaliter

raliter astrorumque influxu, partim e diuina voluntate accidere solere. Id quo fiat modo, ex ordine persequar.

Secundum capitulum de pestilentibus sagittis, proeliorum famisque atrocitate, ac alidrum huiusc modi rerum incommodis, quoniam supernaturaliter et e diuina voluntate emergunt. Unde etiam malum de Franzos hat ex causa driri videtur.

Vt coelestia contemplantium eorumque omnium, qui se sacris litteris dedidere, hominum grauissimorum utar auctoritate, audubo sedulo fari, ratione consentiente, tria esse telorum genera, quibus dii immortales a mundi origine nefariae audacti mortuum compressere, quemadmodum tria recententur flagitia inter omnia facile secunda, quae sunt insolentia, nimia auri cupido, alienis rebus, quae ad se minime pertinent, vim afferens, scelerata demum libido, quae quidem tamquam comites, semper secuta sunt ea mala pestilentia, sanguinis effusio, viitus penuria, quippe diuini vates hoc testantur.

Primo Ezech. XII. capitulo inquit. Relinquam ex eis viros paucos a gladio, a fame et pestilentia, ut enarrent omnia sclerata eorum ingentibus.

Et rursus quinto capitulo. Pestilenta, famae et sanguis transibunt per te, et gladium inducam per te. Tum Hieremias XXIX. prohibet. Persequar omnes in gladio, fame et pestilentia. Quis inficias ibit, his tormentis atque flagellis cunctas gentes crucieri? Namque

nostre

nostro aevo crebrius repetuntur, raroque ultra lustrum latent, pristinis vero diebus ostena lustra quietius mortales viuebant. Sed solet profecto id esse causa, quoniam praesto sunt ea ingentissima flagitia omniumque execrabilissima, quae ante id temporis humanitas abhorrebat, et suum quisque scandalum maximum ducebat, si minimum perpetrare perrexit. Namque singulae aetates singulis vitiis tam contaminatae cernuntur, ut ne pueritia quidem facinoris criminis careat. Vnde hae etiam, quae superioribus aetatis lustris lauerunt, plagae horribilissimae ingruunt. Quare haud clam est, haec flagitia e deifica voluntate in terram ad terrorum hominum demitti. Quam ob rem etiam haec colluuius, quam *mâlum de Franzos* vocant, ex superna vindicta demergi par videri potest. Coeunte vero hac causa, astris ipsis denegata est potestas. Iuxta illud *Hieremiae X. A signis coeli nolite timere, quae gentes formidant, quoniam dominus misit pestem in Israel.*

Capitulum tertium de praedictis deorum telis pestifirisque fulminibus, quomodo e natura ipsa stellarumque configurationibus oriuntur.

Cum naturae sancta penetralia adire conor, quo contemplandi mihi facilior ratio horum fulminum pateret, quae tam multiformi ambage, more vagantis fortunae, variis cursibus ingrediuntur, multiplice via humana corpora adoriantur, furtim reseratis foribus, cum introisse, neque morula minutissima commorandi dare esset,

esset, hanc celerrimo cursu surripui eorum tormentorum causam, quod humanum corpus quatuor ex elementis conflatum est, humo, vinda, igne et aere. Terra in carne et ossibus maxime appetit propter terrenam soliditatem, aqua vero in humoribus. Coelum continetur in pulmone: ideo semper in motu est, quia ventilabrum cordis se gerit, ne nimio calore consumatur cor et dissoluatur. Sedes ignis est in corde, ideo inferius est latum, superius acutum, quam formam figura ignis retinet. Vnde ex mutatione elementorum sequitur alteratio corporis. Aliter vero se habente corpore, alteratur et natura eius. Ea ratione praelia obueniunt. Nam, inflammatis corporibus, quod fieri solet, maxima fuscitate dominante, quando fit congressus horum duorum planetarum, Saturni et Louis, in signo igneo, vrbium et oppidorum euersiones, regnorum mutations atque populorum occisiones accidunt. Eadem ratione frumentorum penuria laboratur, quemadmodum ARISTOTELES in eo, qui *de natura elementorum et proprietatibus* liber inscribitur, inquit: *Anni ubertas et sterilitas fiunt per stellarum mutationem in signis diversis super climata septem; et mortalitas gentium praeteritarum, atque regna vacua fiunt apud cōitum stellarum duarum, Saturni et Louis.* Per eorum etenim mutationem de triplicitate ad triplicitatem accidentum accidentia magna, praeterea Martis cum praefatis planetis congressus in casibus eorum significabit

terrae siccitatem. Sicut ALBERTVS in libro de natura et proprietibus elementorum perhibet, eueneri effectus secundum conuenientiam eorum fortitudinis, pestilentia demum ex contaminatione coeli efficitur. Nam cum sit elementum valde aliter se habens et putredini accomodatum, nos quoque animalia per aerem viuentia, quia spiramus, sicut et alia pulmonem habentia, necesse est, ut coelum illud putrefactum attractumque interiora corrumpat. Scorra vero pestilentialis, quomodo latenter causam naturae secretis euehat, altius repetendum, et ad stellarum operationem configiendum est.

Capitulum quartum de pestilentiali Scorra siue malo de Franzos dicturus, originem trahens e stellarum congressu. Videtur praemittenda esse primogenita coeli formatio.

Cum diuinae maiestatis cuncti potentisque creatoris sedem altissimam essem contemplatus, quae septem erraticis sideribus lucidisque astris aliis innumeris decorata est, signifero quoque, tamquam moenibus, cincta existit, id in mentem venit, eundem optimum maximum que deum ab aeterno cum causis secundis statuisse operari. Idecirco extendi coelum, ut diuinus vates inquit, sicut pelleam, formans lumen vniuersitatis, cuius litteris nemo deesset. Et ut PTOLOMÆI verbis utar, sapientis vultus huius seculi subiecti sunt vultibus coeli, ut ipsis coelestis terrenis dominetur, et draco caelestis terrenis imperium imponat. Est autem

hacc

haec mundi machina optimo in ordine perfectissimoque creata, quum indecens fuisset, creatorum quicquam inelaboratum mortali creaturae reliquisse, qua ex re ambiguitas errorque inualuisset, ut ne humana quidem ratio de naturalibus rebus iudicare potuisset. Hanc igitur primogenitam firmamenti seriem, quam figuram coeli appellant, litteris mandabo, praesupposita communi tam theologorum, quam astronomorum opinione, mundum creatum esse in aequinoctio vernali, sole existente sub ariete. Ascendit itaque in inceptione mundi primus gradus cancri, in quo confortatur Jupiter. Arietis vero eundem gradum decima domus tenuit, primum denique capricorni gradum septimum obtinuit domicilium, postremo idem gradus Librae angulum terrae sibi vendicauit, et ea quatuor domicilia cardinalia seu angularia vocant. Praeterea domi succedentes cadentesque peculiares signorum gradus sibi ducunt. Secunda tertium gradum leonis undecima vicenis et septeno, gradus tauri quinta vigesimum septimum, scorpionis octava ternos aquarii. Deinceps tertium domicilium occupauit ternos et vicini virginis gradus, sextum septenis sagittarii. Nonum vicem ternos pisium, duodecimum septenos geminorum gradus. Stellarum nunc erraticarum habitationes, in quibus creatae sunt, conuenit recenseri. *Saturnus* itaque in aquario, domo sua propria constitutus fuit in vicini singuli gradibus suae exaltationis. *Jupiter* deinde in pisibus

cibus in octenis, et viceni gradibus suae gloriae. *Mars* in scorpione, domo sua, viceni et octenis gradibus suae exaltationis. *Sol* in ariete, domo sua, vnde uigesimo gradu suae exaltationis. *Venus* in tauro, domicilio suo, septenis et viceni gradibus suae gloriae. *Mercurius* in geminis, domo sua, quindenisi gradibus suae exaltationis. *Luna* in tauro, gradu suae exaltationis tertio. Caput draconis in ternis geminorum gradibus, cauda autem draconis in sagittario, domicilio suo, in tertio exaltationis suae gradu. Neminem ultimo fugere debet, quod *Luna* gradiendo per caput draconis fiebat cum *Mercurio* in signo geminorum, et hic fuit primus illorum duorum siderum coitus, deinde aliis planetis iuncta fuit luna, donec applicuit ad solem, quod fuit vigesima septima die ab ipsorum creatione. Licet autem possit alia ab illa describi figura coeli, ista tamen contenti erimus, quae coniecturaliter ab astronomis exarata videtur, humanas siquidem excedit vires calculatio haec, nisi quibus diuina reuelatione id patefactum fuit. Nam anni ante diluvium incerti sunt, neque extant historiographi, qui de his scripsere. Quamobrem ista reseruo iudicio et examini perhorum, conferamque caram ad annos mundi.

Capitulum quintum de annorum ab origine mundi calculatione aetatumque distinctione. Et quibus coniunctionum planetarum notitia emanat, ex his tandem antedicta aegritudo.

Ne

Ne alienae scientiae manus iniicere videar, cuius professio minimè vel famam, vel commodum adauxit, neque iners barbarorum agrestiumque hominum iudicium subeam, qui per aetatem fieri cuncta censem, adolescentiam quoque vitio dant, neque bonarum artium studiis praeditam esse, pertinaci verborum impudentissimorum controversia contendunt, quorum etiam plerique graues viri apud imperium *) vulgum expertes dijudicantur, vnde tales ad eos minime praecox attinet sermo. Hem pridie is puer tantillus in Burkhausen ludum litterarum incolebat. Heri gymnasium vidit, hodie oratorum officinam ingressus. Illico novam editionem clariore luce lucubrata emitit. Age, obsecro, pudeat te, floridam aetatem vel rerum venearum illecebris, vel bestiali crapula triuisse. Meritorum igitur detrahis bene institutae adolescentiae, quae nullis laboribus nullisque vigiliis, excubiis quoque parcit, quantum voluptatibus tuis effrenatis libidinique pestiferae, requiei denique animi et corporis concedis, quam tamen mihi summo*) ad honestas artes recolendas. Neque ambitionem, qua adolescentiam in primis laborare dicis, mihi obiceris. Namque non tam me ambitio urget, quantum te edax liuor die noctuque torquet. Neque fatebere, me impiis in disciplinis, quasi astronomia, oratoria medicinaque iuuentu-

B 3

tem

*) Leg. imperium.


**) Leg. sumo.

tem traducere. Quum plura sunt, pace tua dixerim, quae te ignorare pudor est, quamvis in altissimo cuiuscunque etiam facultatis fastigio constiturus sis. Expertibus quippe minorum rerum maiora raro eueniunt. Ex quo omnes artes habent quoddam commune vinculum inter se, suntque ad inuicem colligatae. Sed ne lectorem taedio afficiam legendi huiusemodi conuicia, ad rem redeam; cuius causa calamum ad scribendum impuli, dicturus siquidem de annis fluxis ab origine mundi, theologorum mihi usurpabo auctoritatem, quorum error, si a veritate alieni sunt, me quoque delirare faciat. Conuenit autem distinctione aetatum praenotare, quas diuus AVGUSTINVS sex diebus mundanae creationis adaptat, ut prima aetas, tamquam dies unus, sit ab ADAM usque ad diluvium, secunda inde usque ad ABRAHAM, non aequalitate temporis, sed numero generationum denas quippe habere reputantur. Ab ABRAHAM usque ad DAVID tertia, quarta a DAVID usque ad transmigrationem Babylonis, Quinta inde usque ad CHRISTI carnalem natuitatem.

Sexta nunc agitur generatio, nullo numero metienda, propter id, quod dictum est, *non est uestrum nosse tempora vel momenta, quae patet posuit in sua potestate.* De illis sex aetatis tractauerunt omnes chronicarum scriptores, primi vero annorum rationem habere *) septuaginta-

ta

*) Leg. habuero.



ta interpretes, deinde IOSEPHVS, OROSIVS, EUSEBIVS, HIERONIMVS, BEDA, qui quidem non parum habent inter se descriminis, cuius rei causa existit. Nam sumunt partem pro toto, quinque enim annos incompletos pro annis integris, quoniam praeterirent annorum fractiones, dies, menses, horas, minuta secunda, tertia etc. Elapsi fuerunt igitur a principio mundi usque ad diluvium NOAE duo millia C CC quadrageni et bini anni. Deinde a diluvio usque ad natuitatem ABRAHE fluxerunt nonigeni quadrageni et bini anni. A natuitate ABRAHE usque ad DAVIDEM regem fuerunt nonigeni et quadraginti anni. Et rursus a DAVID usque ad transmigrationem Babylonis transfere quadriringenti octogeni et quini anni. Postremo a transmigratione Babylonis usque ad CHRISTVM praeterierunt quingenti nonaginta anni. Addendo eos annos omnes simul resultant ab ADAM usque ad CHRISTVM quinque millia centum et nonaginta nouem anni.

Praecisiorem calculationem ALFONSI taciturnitate pertranseo. Sermonem nunc vertam ad coniunctiones maximas SATURNI et IOVIS, quas sequitur maior rerum alteratio.

Capitulum sextum de coniunctionibus maximis Saturni et Iovis, quae fluxerunt a mundi exordio, quas semper secutae sunt maxima transmutationes.

Altitonans pater, formans astra ab initio, eiusdem commisit aedes inferiores, tamquam

B 4.

pater

pater familias. Sedulo agentibus familiaribus curam rei domesticae abiturus tradit, ut easdem gubernarent disponerentque benigno, ut salutari ipsorum influxit, quo cunctae, quae hanc incoleat mundi domum, creaturae consultum ac prouisum foret, constituitque MARTEM iudicem, SATVRNVM quoque iustitiae executorem, alios praeterea planetas iudicij praesides et quasi mediatores, qui seueri iudicis iram demulcerent. Vnde permisit ex eorum congressibus et configurationibus mirabiles in hoc mundo alterationes accidere, praesertim ex trium superiorum SATVRNI, Iovis et MARTIS, propter lentum motum eorum. Coitus vero eorum est quadruplex, maximus quidem trium nominatorum planetarum, significatque res maximas maximeque mirandas. SATVRNI tamen et Iovis congressus simpliciter dicitur maximus, quotiens sit in principio arietis, propter effectuum, quos significat, magnitudinem. Quomodo autem quadrifarie partitur haec coniunctio, ex equar. Nam SATVRNVS et IUPITER in XX. quoque anno semel coniunguntur, et hanc appellant coniunctionem minorem, IUPITER siquidem perficit cursum suum in duodenis annis, SATVRNVS vero in vicens. Vnde sit, ut post vicens annos congrederint *) in nono signo aeo, in quo prius iuncti fuerant. Deinceps post alios vicens in quinto a primo, et post tertios annos vicens rursum coeunt in primo signo.

Et

*) Leg. congregantur.

Et hunc coitum solent vocare magnum, qui conjungit in sexagenis annis. Diciturque significare plures super sublimationem regum et potentum super, quoquae grauitatem annonae et ortus vatum, posteaquam itaque in ista triplicitate totiens iuncti fuerint, ut ad aliam migrant coenantque, vocatur congressus maior, qui fit in ducentis et quadragenis annis, significatque super mutatione sectae in aliquibus regionibus. Sed quum ista migratio fit de una triplicitate in aliam, ut de calce cancri in principium arietis, demum dicitur tongressus maximus, propter revolutionem SATVRNI trigenis et binis vicibus, fitque in nongentis quibusque annis et sexagenis, significatque super mutatione imperiorum atque regnorum superiorum ignitas impressiones in aere, diluvium et terrae motum, super grauitatem postremo annonae. Primus igitur coitus maximus SATVRNI et Iovis in principio arietis, secundum communem opinionem calculationemque, non praecisam et adaequatam, sed veritati propinquam, fuit anno a principio mundi tricentesimo et triceno; quod confirmatur per congressus minores, quorum senidem fluxerunt a mundi origine usque ad hunc planetarum conuentum maximum, qui hos tricentos et tricenos continent annos, quoniam unusquisque contingit in vicens annis. Adiiciendo autem antedictum coitum maximum, non ingentos et sexagenos annos effluit, secundus, qui fuit anno mundi 1289. quoniam, ut dictum est,

B 5

accidit

accidit semper in noningentis et sexagenis annis. Praesupposito igitur illo primo, per additionem iungitur nonigentorum et sexagenorum annorum emanant omnes reliqui. Tertius *congressus SATVRNI et IOVIS maximus* in ariete fuit, anno a principio mundi 2240. Quartus anno mundi 3200. Quintus 4160. a diluicio 1918. Sextus fluxit anno ab initiomundi 5120. a diluicio 2878. Septimus fuit anno mundi 6080. a diluicio 3838. vel circiter, post incarnationem CHRISTI 735. Sic in summa, usque mundus stetit, transferunt septem coniunctiones maxima, circa quas semper magna monstra, portenta et prophana ostenta accidere, quibus omnes historiae refertae sunt, quoniam ab omnibus historiographis accurate litteris prodita conspicimus. Octauis *conuentus maximus SATVRNI et IOVIS* in ariete erit anno mundi, si deus voluerit, 7040. a diluicio 4798. a CHRISTI incarnatione 1693. vel circiter. Quid autem futurum sit, deus optimus maximusque nouit, qui exorandus est, ut nos conseruet hic fruentes secunda valetudine, post mortem vero aeterno beatitudinis gaudio. Has postremo maximas coniunctiones eam ob rem notare volui, ut facilior pateat origo huius acutissimae aegritudinis, quam astrologicis ex causis conor hic inquirere. Sermonem nunc extendo ad coniunctiones maiores.

Capitulum septimum de congressibus maioribus planetarum, qui sunt principales huius ellusionis

onis; quam mala Franzos appellant, causa.

Cunctarum aegritudinum vel mediocrium, vel accuratissimarum coitus infortunatorum planetarum causa esse poterit. Namque SATVRNVS, qui frigidus et siccus existit, habet rationem atrae bilis, illamque generat atque augmentat. Vnde etiam continet splenem, mansionem eius, MARS vero calidus et siccus bilem intuetur, illamque creat et auget, vendicat sibi quoque fel, domicilium eiusdem, qua propter MARS excitator bellorum dicitur. In congressu igitur molitur quisque suam malitiam proferre, ne inferior sit. SATVRNVS longorum morborum, ex atra bile orientium, facile parens habetur. MARS rursum acutissimarum aegritudinum, ex bili flamma inextinguibili profluentium, princeps existit. Vnde et illius *mali de Franzos* originem sibi peculiare ducunt, quod ex corruptis humoribus generari videtur, quos ad se, tamquam natos, quos generarunt, pertinere arbitrantur, ex coitus eorum configuratione atque dominii fortitudine. Id vero, quo fiat pacto, coniunctionum maiorum enumeratio illustrabit. Neque enim clam est me, inter duos maximos SATVRNI et IOVIS ternos ad minus maiores congressus fieri in dycentis quadragenis annis, et multo plures minores, SATVRNI et MARTIS in tricens. Et rursum plures aliae contingunt, de quibus PTOLOMAEVS in *Centiloquio verbo quinquagesimo primo* inquit. Ne obliuiscaris centum viginti coniunctionum, quae sunt in stellis erraticis,

In illis enim est maior scientia eorum, quae fiunt in hoc mundo. Quinimo inter quaslibet duas coniunctiones maximas est ad minus vna reuolutio orbis, id est, octauae sperae in sexagentis quadragenis annis, et etiam plures reuolutions magni orbis in trecentis sexagenis annis. Fiunt insuper plures reuolutions SATVRNI, quae quidem cuncta non parum habent significationis in permutationibus saeuarum regnorum ingentiumque aegritudinum, et aliorum magnorum effectuum, secundum doctrinam excellentissimorum astronomorum. Quam ob rem quando eorum configurationum plures incident in vnum annum, sequuntur varia miracula, quae omnibus mortalibus stupori et admirationi existunt. Euenit autem, paucis exactis annis, saeuus SATVRNI et IOVIS coitus, qui huius mali de Franzos, quod iam misere ingruit, caussa existit, quem quidem pluribus complectar.

Capitulum octauum de prima causa huius pestilentialis Scorrae sive mali de Franzos fluens ex coelesti constellatione.

Proximis idibus Nouembribus Aegyptiacum quendam riuolum, scaturientem e medio; ut aiunt, philosophorum fonte celeri cursu trahere conabar. Nam et assidue cursitando, cum philosophos atque medicos, tum omnes etiam sapientes consulendo, sedulo inquirendo intensissimeque cogitando, quidnam id mali esset, quod tam misere premit, vrget, inflamat, tortuet, prurit incalescitque mortalium corpora, fudo-

fudorifero nimio labore vsque sopore profligatus fueram. Quum autem unusquisque se illius rei originem ignorare fateretur, illico statui Aegyptiorum gymnasia adire, cumque paucissim oculos in cristallina illius fluuii amoenissimi vnda, intuererque maiores natu viros illic se se recreantes, qui rursum amicabilissimos vultus in me coniicerent, consedi confabulauique. Audius vero sciendi, quales se gererent, tum unus, qui aderat, dexteram in aurem mihi susurrebat, eosdem esse HIPPOCRATEM, GALENUM, AVICENNAM, PLATONEM, ARISTOTELEM, PTOLOMAEVM, aliosque ferme innumeros astrologus recensebat, qui de rerum naturalium coelestiumque contemplatione desererent *). Inter cetera quidem huius mali de Franzos causata discute, re elaborabant, afferentes, id esse plantam noctis, alii mentagoram, alii leprae speciem, eisdem, quibus hae aegritudines sanantur, remedii mederi. Alii sicca corpora duntaxat hoc morbo laborare firmabant. Iccirco Gallis crebrius eueniret, praeterea ex SATVRNI frigiditate, quotiens domo sua egressus fuerit, ad domiciliumque IOVIS migrasset, quippe tunc inter reliquias maliuoli senis quoque SATVRNI expelleret, in quadraginta annis crebrius fieri solet. Postremi dictum hoc partim affirmabant, partim vero negabant. Licet etenim siccioribus corpo-

* Leg. different.

corporibus, vt Gallorum aliorumque id generis frequentius contingat. Qua propter etiam Francigenarum nomen proprium sibi vindicauit. Namque *malum de Franzos* vocitari consuevit, non autem a Germanis, Italos, Britannis, Anglicis, Sarmacis aliisque gentibus nomen sibi inditum accepit, sed gallica de gente, quae sui nominis monumentum peculiare ac perpetuum sibi inuissit, quod nullam vñquam passurum est lituram. Hac vero tempestate repit non solum per Latium, sed serpit quoque per Germaniam, Sarmaciā, Bohemiam, Thraciam, Britaniā, et prorsus omnes mundi cardines usque occupauit, quod priscis temporibus numquam est auditum. Priorem igitur rationem sedulo inficiabantur. Namque quomodo fieri potuit, vt idem morbus de Gallis ad tot gentes transueneretur, quum eo antehac Francigenae saepius laborarint, numquam tamē moenibus urbium pressi fuerunt, vt alia regna petere prohiberentur? Quinimo per orbis regiones sicut iam disseminati fuerunt, haud tamen id malum in alios homines miserunt, quod iam ab altero in alterum, tanquam sagitta, torquetur. Quam obrem astrorum peritissimi latenter huius acgritudinis causam acutius inuestigantes, plura scripta digna protulere, quae hic non est recentendi locus. Illud satis est commemorasse, redes gisseque in memoriam, Galliam a Iove regi, SATVRNVM supra Anglam, Martem vero Alemaniā dominari. Vnde quum postremo, vt
mos

mos est, feruentis nouitatumque auidae adolescentiae, verba premere propria nequirem, in eum proripi planetarum coitum, qui paucis exactis annis fluxit, eundem esse huius morbi propriissimam causam, variis argumentationibus ostendens. A singulis mihi assensum fuit. Interim abire coacti sunt. Namque se se ab inferis ab immortali Iove in fluuiolum hunc missos fuisse ad hominum salutem fatebantur, ea, quae summo concilio conclusissent, obsignata charta, mihi tradidere, quae per orbem terrarum disseminarem. Sic e conspectu meo evanquerunt, magno edito gemitu. Ego, veluti stupefactus, in urbem tædii *), hancque subiunxi huius mali de Franzos causam, quae sequitur.

Capitulum nonum de mala Franzos, quod manauit e maiore duorum planetarum SATVRNI et LOVIS congressu exque solis radiorum amissione.

In tanto huius horribilis terribilissimique portenti, omnibus mortalibus inauditi, inuisi atque penitus incogniti causam varie differentium conuictio diu mecum multumque cogitauit, quid factu optimum foret, an populare iudicium subirem? an calatum ab omni scribendi officio comprimerem? Quim sic haesitarem, id mihi forte incidit, eum mentibus hominum errorem inculcatum esse, vt omnium rerum apud semet ipsos acerrimi censores esse videantur.

tur, clarissimorumque virorum scripta apud plerosque ignorantes vitio dari, quae tamen si ne omni menda in lucem prodidere. Nec circa si meam operam minus probent, haud propterea infamia dignus sum censendus, cum dignissimi viri, omni virtute, sapientia atque doctrina praediti, petulantissimam obtrectatorum linguam minime effugiant. Testis est **VALERIUS**, qui *nullam ait esse tandem felicitatem, quae malignitatis dentes vitare possit.* Quamobrem dilaceretur afficiaturque omni ignominia fama mea ab indignis. Non pudor est, scripsisse, sed adolescentiam ignavia luxuque inheri sine bonis litteris traduxisse. Obscero, aequum te praebeas iudicem, qui hanc primam adolescentiae meae editionem legis, si humanitate ipsa ductus fuerim ad aliquem errorem, eundem pietate tua corrigimus, ne me futura scribendi arduora spe priues. Hanc autem accipe huius *mali de Franzos* incultam causam. Accidit quippe anno incarnationis dominicae millesimo quadragesimo octogesimo quarto expauescendus **SATVRNI** et **IOVIS** coitus, die vigesima quinta Nouembris, hora sexta, minuto quarto, post meridiem horoscopante, canceri gradu super orizontem *). Illius horrendi conuentus signum fuit infelicissimum Scorpionis, **MARTIS** domicilium, ternis vicenis eius gradibus. Et rigidus ille atque maliuolus **SATVRNVS** eccentrici sui eleuatione ac circuli sui latitudinis in

septem-

* Leg. *horizontem.*

septentrione altitudine et sublimitate **IOVEM** benigna opprescit. **MARS** quoque, coniunctionis domus regia, in domo ac regali signo et domicilio proprio constitutus, omnem illius congressus gubernationem sibi vendicauit. **IVPITER** itaque benignus **SATVRNI** et **MARTIS** impugnatione suis subditis natisque nequit salutare ferre subsidium. Deinde anno sequenti octogesimo quinto, vigesima sexta die Martii, horrenda et saeva solis eclipsis euenit, cuius testimonium magni illius conuentus significationem ingressum est, malignaque effectus eius peiores reddidit. Neque malitia ista hastenus terminata fuit, neque finem imponet, donec ad aliam planetarum arcem migrabit. Illum congressum expauescendum infinitae fere tempestates securas sunt, iam pestilentiales fluctus, qui adhuc seuiunt, iam bellorum procœllae. Nunc etiam tam turbinibus maximis pressi sunt miseri homines. Praeterea inuasit humanum genus elluviis haec pestilentialis, hoc est, *mala de Franzos*, quod quidem haec coniunctio de Gallis in Germanos transuexit, dehinc in alias complures regiones. Est namque competitum, quod **IVPITER** dominatur super Galliam seu Franciam, qui est calidus et humidus, et ex humoribus vendicat sibi sanguinem, domiciliisque elusdem, quod est hepar, unde sanguinem generat augmentatque. Virtutem quoque vitalem corroborat: In calido etenim et humido conseruatur vita. Quamobrem Galli ex natura gaudent optimâ corporis dispositione, celerius tamen inclidunt in morbos, et grauius aegrotant propter viuendi caloris abundantiam corporumque repletionem. Quae quidem saturitas humorumque copia vehementius putredini praesto sunt. Et ex quo in praefato **SATVRNI** et **IOVIS** coitu mansuetus salutarisque **IVPITER** per **SATVRNVM** ferocissimum suppressitur, **MARTIS** quoque impedimento,

C

qui

qui dominium ac imperium huius coniunctionis peculiare sibi dicit, prostratus jacet, sequitur doloris et humidi detrimentum, quippe SATVRNVS atram bilem, quam generat et augmentat, inducit in corpus, quia frigidus et siccus existit, naturae infestus, recentesque humores corruptioni credit. MARS deinceps temeritatem suam commis-
cet, bilem flamma ignis ardentiorem priori malo adiiciendo. Ita profecto quoque hi salutiferi humores tam ex sua primogenita natura migrant, referta vitali arce mortiferis humiditatibus SATVRNI et MARTIS, vt tam oetida, immunda, grossa for-
didaque materies congeritur. Quam etiam huma-
nitas ipsa abhorret foetoris rationem, hanc SA-
TVRNVS, qui planetam, sordium fetidissimarumque
rerum principem se gerit. Vnde prima causa ap-
paret esse atra bilis, quae hanc impuritatem ge-
nerat, secunda bilis, quae auget eandem, accen-
ditque eas contritas humiditates. Nam MARS est
parens omnis inflammationis, siccirco putor in-
trinsecus in eo malo de Franzos videtur ferme
eadem laborantes homines aegritudine igne con-
sumere, tam inflamat, incinerat, torquet, premit-
que, vt miserabile sit dictu: plures, inquam, sed-
ari dolorem morte optant. Illam sordidissimam ma-
teriem vi enititur natura expellere, ad naturaliaque
hominum, vbi est congressus venarum, demittit.
Nam et signum scorpionis, in quo conuentus iste
planetarum factus est, dominium illius membra ha-
bet. Neque tamen perfecte contingit in eo loco
expulsio, quare ad alias diffunditur corporis nobis-
iores partes propter sanguinis corruptionem. Fluxit
deinde morbus iste ad Italos, qui videntur parti-
cipare cum Gallis, tum ad Germanos transuexit
MARTIS in illa coniunctione principatus. Manat
postremo ad Anglicos atque alios SATVRNI mini-
istros. Illud tamen neminem fugere velim, om-

nes

nes tovis natos maiori huius aegritudinis formi-
dine vrgeri, quibus deinde signum illud congreg-
fus adscendit in nativitate. Est alia etiam causa
suepe fati morbi reuelatio, SATVRNI decennialis,
quae anno octogesimo nono completa fuit. Et nun-
quam sine aliqua singulari mutatione praeterit.
Nunc ad remedia progrediamur.

*Capitulum decimum de remediiis contra sagittas
huius pestiferi morbi sive proluwiei de Franzos.*

Ex quo sagittae istae ex atrae bilis acuitate bi-
llaque inflammationibus, dirutis in homine propug-
naculis, erumpunt, ab altero quoque in alterum
torqueri videntur, tanquam peregrinus morbus.
Quamobrem etiam cum pestilentia affinitatem ha-
bet. Idcirco clypeorum opifices diligendi sunt,
qui optime fabricent. Facile autem restiteris, vbi,
demicilio post te relicto, in quo laborantes scorra-
decumbunt, coelum clarum purumque ante te tu-
leris, vbique ab horum hominum consuetudine fe-
dulo abstineris *). Namque ea tela inficiunt aerem,
qui multiplicatus ad alterum intoxical, et eundem
ipsum. Vitare etiam operae pretium est lauato-
ria comunia, ac temptare, quoniam pori pa-
tent. Posteaquam vero quisquam senserit ven-
tos anni motu aliquo excitari, his premat rebus
cytherae melodia psallendi arte PYTHAGORAE, con-
uiuuis intersit ORPHEVS cum AMPHIONE, VENVS
tamen cum CERERE semoueatur, neque BACCHVS
liberaliter calices fecundet. Delectabunt etiam io-
cundi sermones de rebus altissimis, quae non mo-
ueant memoriam ad cogitandum de aegritudine
hac. Stupham suffumigent carbones ignei instructi
myrrha cum albo thure, aut granis iuniperi.
Praeterea epulae aceto aut agresta condian-
tur, rectificetur autem coelum, vt in pestilentia,

C 2.

primo

*) Leg. abstinneris

primo vniuersaliter accendendo ignem mane et vesperi pluribus diebus, quemadmodum GALENS in eo, qui de *commoditatibus tyriacae* *) libellus inscribitur, hanc purificationem commendat, cum inquit: *Quocirca laudo mirabilissimum HIPPOCRATEM, qui pestilentiam non aliter curauit, qui apostema ad elios attinxit, nisi vertens aer et alterans, praecipiens, ne attraheretur per respirationem aer infectus.* Iussit etiam in qualibet orbe accendi ignem, non simplicem materiam ignis habentem, sed flores et ferta odorabilissima confulebat esse cibum ignis, et insuper infundens pigmentorum pinguissima et odorem bonum habentia. Laudo etiam ingenium ANTONII CERVISONI, quod mundentur stratae siamo rebusque aliis aerem insufficientibus. Rectificatio deinde aeris specialis hoc pacto fiat. Mane et vesperi optimum est, vt, cum homines volunt se credere quieti, ignem pauxillum accendant, quem soueant thure, ligno aloes, cariofolis **), masticę, cypreſſo et aliis rebus id generis. Deligatur deinceps domicilium in aestate in locis declivibus et depressis ab impressione coelesti remotis fernestri a parte septentrionali atque orientali, quorum aspectus optimus. Postremum remedium magis est necessarium, quod praeferuat homines ab hac pestientiali eluiōne. Et est rectificatio corporum. Et hoc contingit bifarie, uno modo per debitum vitae regimen, alio modo per debitam euacuationem. Ordinatum regimen debet esse eomodo, vt omnia genera piscium effugiantur, fructus deinceps dulces, similiter carues humidae, vt porcorum, agnorum, caſtorum**) omniumque animalium aquaticarum. Homines vtantur his carnibus, vt sunt pulli, gallinae iuuenes, vitelli, hoedi, caprioli, turdi, perdices, fasani, auiculae alpinae potius

**) i. e. *zheriacae*.

***) Leg. *caryophyllis*.
Cyprinus idem, qui *ceylonus* i. e. *verus*.

potius, quam campestres deligantur. Hae vero carnes cum aceto aut agresta, succo limonum, granatorum aut arantii condiantur, laudanturque eo tempore acetum bonum magis, quam acria, quae non sic a corruptione praeferuant, nec sic humorum et spirituum inflammationem extinguunt. Vescantur insuper his carnibus, assis potius quam elisis. Fercula sint lenticulae, cum aceto conditae, portulaca, lactuca quoque praeparata aceto. Potus fit vinum bonum cum meracum, sed dilutum, neque dulce, vel aqua permixta aceto, vel agresta, vel succo granatorum. Similiter syrupi acetosi aqua permixti commendantur, et sic patet prima corporum purificatio. Secundo rectificantur per euacuationem. Quaedam autem medicinae, his tempestatibus adhibendae, sunt corpus euacuantes a multitidine humorum, et quaedam corpora alterantes et prohibentes humores a corruptione et venenositate. Euacuantes in duplice differentia sunt. Quaedam enim sensibili ter euacuant, vt phlebotomia, farmacia *) et gargarismata, et similia, quaedam insensibiliter, vt fricationes, pectinationes. Quantum ad primas medicinas, consilium peritorum in arte hac est, vt corpora calida et humida sanguinea, quae sunt caloris viuidi, et praeferunt iuuenes, et qui vtuntur carnibus et vino, saepius phlebotomia vtantur. Plus tum vel minus secundum repletionem vel sanguinis multitudinem, aetatisque conditionem, quoniam corpora talia maiori subiacent periculo, humores siquidem eorum putredini magis parati sunt. Et item crebrius vtantur evocatione per pharmaciā cum his pillulis. Recipe aloes fucultrum **) partes duas, croci, myrrae ana partem unam. Incorporantur cum paucō vino albo odorifero, et

C 3

formena

*) Leg. *pharmaca*.

**) An *succum*?

formentur pillulae, de quibus robusta et repleta assumant dragmam vnam, minus vero repleta et facile solubilia assumant dragmam 5. Hae pillulae humiditates extraneas euacuant, et a putrefactione humores bonos praeferuant. Euacuatis autem superfluitatibus primae digestionis et secundae, prouocentur sternutaciones tres vel quatuor cum veratro pyrethri et cubebarum ana dragmas 5. et miscentur. Fiant deinde gargarismata cum aqua frigida et aceto permixta, per narres autem attrahatur aqua rosacea cum paucō aceto et camphora permixta. Euacuationes vero insensibiles sunt fricationes, quae fieri debent per totum corpus, maxime ad dorsum et brachia, antequam de lecto surgant. Pestinationes longae fiant, postquam surrexerint, et superfluitates deposuerint. Et haec de medicinis corpus alterantibus et euacuantibus, Medicinae vero alterantes et a corruptione praeferuantes sunt tyriaca, antidotum ANDROMACHI. Postremo fiat hominibus laborantibus hoc malo de franzos vnguentum secundum artem tale. Recipe cerusae *) vncias ij. litargiri auri et argenti ana 3i. g. Masticis, olibani ana vnciam i. Resinæ pini 3 iij. Aluminis combusti vncias ij. Argenti viui extincti unciam β . Succi malorum citorum **) vnciam i. et β . Ceræ albae, oleum oliuae, quantum sufficit. Gargarisma deinde taliter fiat. Recipe mellis rosati colati vncias ij. Diamoron vnciam j. Aquarum rosarum, matris siluae, plantaginis, florum filiginis, rubii, consolidum minorum ana vncias ij. Miscentur insimul. Reliquis in rebus consulentur dignissimi medicinae docto-

*) i. e. cerasus, et paulo post, lythargyrii.

**) i. e. citrorum, quia citro est malum citrum, aut si maius, cydoniorum.

doctores, qui sanius, quam ego, consulere possunt. Praeterea ad astripotentem IESVM CHRISTVM, primarium medicum, confugiamus, ad eiusque genitricem, diuam virginem, MARIAM, quae nos ex hac turba et colluione fideream ad sedem uehi concedat, vbi perfruamur aeuo sempiterno.

Habes, BERNHARDE DE WALTKIRCH, meo iudicio, licet minus graui, sed simplici, sinceroque et hominis, vt ita dicam, tyronis opusculum utile, lucubratum proximis Nonis Nouembribus, quod causam huius ellusionis, quae iam ingruit, explicare videtur. Nam neque quisquam inficiari potest, eam non e fiderum concursibus, configurationibus quoque originem expromere, quum a natura ferme aliena sit, anteaque inuisa, incognita atque penitus inaudita hisce in regionibus. Si tamen non est elaboratum subtili artificio, quemadmodum MINERVA PHIDIAE seu VENVS APPELLIS, tamen gratum tibi erit amici manus. Nam non postulo, vt in archam auream reponas, et tanti facias, quanti PTOLOMÆVS PHILADELPHVS bibliothecam suam, omnis generis librorum resertissimam, aestimauit, neque vt tanto in honore referuandum putas, quanto DARIVS libros HOMERI retinendus *) duxit cum scrinio capti inter spolia, quod erat auro gemmisque ac margaritis preciosum, custodiae voluminum HOMERI dare preecepit. Neque inhibeo, posteaquam sedulo perlegeris, vt igni non credes, quum non sunt VIRGILII codices, quos diuus AVGVSTVS contra voluntatem eius cremari vetuit. Vale, nobilitatis vnicum specimen. Iterum vale, omnis litteraturae amator.

Queri-

*) Leg. retinendos.

Querimonia mentagrica.

Dicite morborum causas et signa docentes,
 Cur mihi mentastra, pectus et ora tument.
 Inrēscunt papulae, distorto corpore, puves,
 Et minuit vires semper in ore sitis.
 Horriferum sevaret*) monstrum non tristius illud,
 Ut reor, infernus quod cubat ante lacus.
 Nulla quies. Totas noctes suspiria discit.
 Polluit egrediens proxima quaeque vapor.
 quis fert auxilium? Feret hic perdoctus IOSEPHUS
 Qui medicam nobis accumulauit opem.

*) Leg. sequet, et paulo post, infernas.

Sed

Sed redeat oratio ad id, cuius caussa istunt libellum iterum typis exscribendum curauimus. Est enim in scenam producendus laudanusque Clarissimus Medicinae Candidatus, qui quam vitae studiorumque rationem fecutus sit, hisce verbis expressit.

*Ego, FRIDERICVS IAHN, natus sum Meiningae
 a. d. xxv. Febr. cccclxvi. Pater, qui
 ante tres, prohdolor, annos evita discessit, fuit
 ELIAS SALOMO IAHN, pharmacopoeus urbisque
 senator. Matrem vero, per D. i clementiam ad-
 huc superflitem, venerari atque omnium, quam pro-
 meretur, pietate prosequi licet, HELENAM CHRI-
 STIANAM, e gente DRESSELIA. Qui parentes
 carissimi ut me prae ceteris habuerunt in deliciis,
 ita omnem in me educando christiane ac liberaliter
 operam et fidem colloearunt. Hinc a quinto iam
 aetatis anno imbutus religionis christianaee
 praeceptis iisque, quibus puerilis aetas imbu-
 let, disciplinis, tandem lyceum, quod in patria
 urbe ostoret, frequentare coepi. Sufficiat hic ex
 praceptoribus adducere viros, quos omnes hono-
 ris caussa nomine, cl. OTTONEM, THILONEM,
 HABERLANDUM et BUCERVM. Prae ceteris ve-
 ro non possum, quin summis attollam laudibus
 cl. EMMRICH, Lycei inspectorem, et VOLKHAR-
 TVM, quandam rectorem, nunc ad aedem pri-
 mariam diaconum, quorum in me collata benefi-
 cia tanta sunt, quanta solent esse maxima. Prae-
 terea quoque optimi parentes erudiendum me cu-
 rarunt*

D

rarunt linguis exoticis iisque, quae ad humanitatem spectant, artibus, ne quid eorum omisisse viderentur, quae virum honestum ac liberalem decent.

Praeterlapso sic spatio scholastico, quod per leges constitutum est, ab praceptoribus dignus iudicatus, qui altiora studia peterem, in hanc aliam litterarum uniuersitatem me conferre placuit.

Sed quam misera hominum sors fatique iniq[ue]itas est! Collectis iamiam sarcinis, pater carissimus e viuis discedere iussus est. Vnde non potuit non multum mutari vitae academicae ratio. Sed nolo iam multis veterem renouare dolorem; hinc

Molliter offa cubent!

Mater ergo sola in viuis restat. Quae ne villa in re officio suo deesse videretur, lubenter passa est, ut curae demandarer Ill. STARKE per VOLKHARTVM, praceptorum quondam et huius viri, et meum. Ienam igitur profectus, fama viorum clarissimorum incitatus atque adlectus, in numerum ciuium academicorum receptus sum ipsius calendis Maii anno CCCCCCLXXXVII. ab Ill. DE SCHELWITZ, Academiae t. t. Prorectore. Ne vero illotis, ut aiunt, manibus medicinam adirem, praemittendae mihi videbantur disciplinae philosophicae, et Logicam cum Metaphysicis et Anthropologia copulatam, audiuisse ac magistro Ill. HENNINGS, ciuium academiae meiningenium in speciore spectatissimo. His adiun gendam duxi Mathematicam et

Physicam

sic am, ducibus usus Ill. WIDEBURG et SVC-
cow. Quibus quidem praemissis, ipsas scholas
medicas frequentare coepi. Entabulam praecep-
torum.

Ill. NICOLAI, Senior facultatis grauissimus,
Patronus et Fautor summo pietatis cultu in ae-
ternum prosequendus, me docuit Patholo-
giam, Medicinam forensem, Artem
formulas componendi et Chemiam. Ill.
GRVNERVM summa voluptate ac utilitate au-
diui explicantem Historiam artis medici-
nalis dogmatico-litterariam, Semio-
ticon, Therapiam generalem, Viam
formulas dextre concinnandi et me-
dicinam practicam. In Historia na-
turali, Anatome, Chirurgia et me-
dica, et manuali, item Arte obfetri-
cia, praceptorem habui Ill. LODERVVM, Eo-
que moderatore et duce, parturientibus
opem ferre vidi in gynaedochio ducali. In
Physiologia, Materia medica, The-
rapia generali et Arte obfetricia
usus sum. institutione Ill. STARKE, viri de me
optime meriti, Praeceptoris, Fautoris, Hospitis,
qui in me collata beneficia eorumque memoriam
nulla acerte temporis hominumque inuidia delebit.
Hoc duce, interfui per Jesquianos aegrotorum
curae, atque rationem ad usum transstuli, coque
adiutore, parturientibus opem ferre didici et tuli.
Neque vero praetereundus est silentio Exp.
SCHENKE, qui me eruditus in osteologia et
re herbaria. Qui-

Quibus quidem omnibus ac singulis Fautoribus venerandis, Praeceptoribus aestumatisimus, iterum iterumque ago habeoque gratias, quas possum, maximas.

Hactenus ille. Qui quamdiu hic studiorum causa commoratus est, ita vixit, ut quemque bonum decet iuuenem, ita in medicinam incubuit, ut commilitonibus et amicis diligentia et assiduo litterarum studio nisi superior, certe par esset habendus. Hinc non potuit non placere eius modestia probitasque plurimis, displicere paucis. Hinc ad examina admissus bene ac docta respondit, et dignus iudicatus est, cui liceret in cathedram concendere, et inauguralem disputationem *De utero retrouerso* publice contra aduersariorum tela defendere. Id quod (speramus) dextre ac strenue faciet a. d. xvii. Martii. Cui panegyri ut frequentes intersint MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR, COMITES ILLVSTRISSIMI, PATRES CONSCRIPTI et PROFESSORES CELEBERRIMI, GENEROSISSIMI et NOBILISSIMI COMMILITONES, et qui qui maiorum instituta magni faciunt, id est, quod verbis ordinis mei perhumaniter et perdecenter oro atque obtestor. P. P. Sub Sigillo Facultatis a. d. xv. MART. CIOICCLXXXVII.

(L.S.)